

6 K. 224 . 3

4-50






PRO POMEMPTIKA QVÆ-
DAM, SCRIPTA REVERENDIS

IV, 50.


224. VIRIS PIETATE, VIRTUTE AC ERUDITIONE
præstantibus D. Michaëli Lucio, D. Georgio Sten-
gio Augustanis, & D. Iohanni Gotto Rheto, libera-
lium artium Magistris, & D. Andreæ Lau-
rentio Landsbergensi, VViteberga
discessuris.



VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXI.



AD M. MICHAELEM
LV CIV M AVGV.
STANVM.

Christe tui verax soboles & imago parentis,
Nate DEO, pura Virgine nate caro.
Morte reas fordes dignate piare Redemtor,
Secula quem precibus sunt venerata Patrum.
Quo tibi nos meritas soluemus pectore grates?
Quæ te digna putem carmina posse cani?
Sparsa per ingentem dum colligis agmina terram,
Munera quæ celebrent sanguine parta tuo.
Dumque triumphali curru subuectus in altum,
Distribuis larga dona paterna manu.
Comple fatidico quasdam spiramine mentes,
Hos at Apostolicum munus obire iubes.
Sedibus in certis alios tua spargere verba
Præcipis, & sacro fonte lauare reos.
Cum genitore tibi motuque fouente Redemtor,
Viuidus ex tanto munere surgat honos.
Perge tuos miris & viribus assere cætus,
Æternum referens lux & imago Patrem.
Turba tuis semper da præsit idonea templis,
Clara bonis studijs, moribus aucta bonis.
Quæ nisi quod moneat, quod scire sit utile nobis,
Quod tua scripta iubent, dicat agatque nihil.

A ij Sic



Sic tibi cum summo genitore mouenteq; flatu
Grex tuus æterna carmina voce canet.
Fallor, an intentus prompta D E V S annuit aure?
Dum precor, en gemitus sunt rata vota mei.
Candidus Augustæ nam Lucius urbis alumnus,
Sueuica cultus vbi diuidit arua Lycus.
Leucoreæ claro Musæ discedit ab Albi,
Vt sonet æterni iussa verenda Patris:
Editus est superas vbi Victorinus in auras,
Musis ingenij dexteritate sacer.
Qui Christum vigili pietate docebat artes,
Dum viguere suo flore Lycae Salæ.
Fouit at Illyricum cùm Iena Melanthonis hostem,
Huius consiluit Musa diserta viri.
O vtinam vir sancte D E I, te vera docente
Illa iterum crescat, stet vigeatq; Schola.
Ad te nostra redit sed docte Thalia Magister,
Spargere famosos non solet illa iocos.
Vt videant oculi, pateant vt vocibus aures,
A solo fieri constat vtrumq; D E O.
Auspice suscipias igitur tua munia Christo,
Vtilis in Domino possit vt esse labor.
Nec rabiosa tuam moueant certamina mentem,
Impia secta quibus turbat ouile D E I.
Pro nobis magnus cùm dimicet ille Michaël,
Anxia quid prodest corda pauere metu?

Attractura

Attractura feros Turcas deliria spargant,
Perpetuo pœnas quos iuuat igne pati.
Assuetus calamis conclamet ad arma sacerdos,
Horrida vinosus dogmata cudat eques.
Effrenis Sathanas commisceat imia supremis,
Et petulante ferox impietate fremat.
Confusus Christo tu contra audentior ibis,
Cuncta precaturo leniet ille mala.
Fortior est Christus Sathanæ grassantibus ausis,
Fortior est, credas, orbe furente D E V S.
Hic vult electæ moderator adesse cateruæ,
Ipsius ad nutum statq; caditq; fides.
Ipsius ad nutum ruit ampla potentia mundi,
Has adiutrices experiere manus.
Sed dilecte mihi, ne longius euager hospes,
Hæc valedictura voce suprema canam.
Quæ peregrinantem mirè protexit Iacob,
Christi magna tuum dextra gubernet iter.
Vt redeas patriam cum coniuge saluus ad urbem,
Et soboli lætans oscula figat annus.
Ergo hospes dilecte vale, vale docte Magister,
Sum memor vsg tui, sis memor vsg mei.

His certo numero pedum ligatis,
Dum doctis meditans vaco Camænis,
Et suaves lego Palladis libellos,
A ij En eiusce-

En eiuscmodi nihil timentem,
Compellat subita Thalia voce:
Pergas Aonio soluta versu,
Et sacris numeris ligare verba.
Albinæ quoq; nam Lycæa Musæ,
Ingressurus iter breui relinquet.
Multis nominibus tibi colendus,
Nostras à pueris secutus vndas,
Et dignus superum fauore Gottus.
Fælix Castalijs iter fideli
Optes hendecasyllabis amico.
Qui testante bonam fauore mentem.
Te dilexit, & omnibus paratus
Te iuuit studijs referre grates
Nunc Henrice tuo decet sodali.
Sic effata leues volat per auras,
Humanosq; fugit Thalia visus.
Sed perceperat hos sonos vt auris,
Totus sollicito tremo pauore,
Consternatio concutitq; mentem,
Hinc discedat enim procul remotum
Dilectissimus in locum Magister,
Qui mollis mihi tristioris aura
Fortunæ, socio dolore luctus
Qui lenimen erat, bonus sororum
Fontis Piérij Dei q; cultor,

Me

Me multum tamen erigit vicissim.
Æterni bonitas amorq; patris,
Mæsis tempore copiosioris
Impendente, quòd artium bonarum
Excultos studijs piaq; mente
Extrudit, sua demetant vt arua,
Christi viuificis amœna verbis,
Lætis auspicijs eas Magister,
Multis vtile sit tuumq; munus,
In te quod recipis, fauente Christo,
Cuius singula seruiant honori,
Quæ dices, meditaberis feresq;
Lætis auspicijs eas Magister,
Perfectæ fidei, perose fucum,
Qui præstas solida eruditione,
Qui cœlestis imaginem parentis.
Pro nobis scelerum vices ferentem,
Sincera pietate confiteris,
Te dextra tueatur vt potenti
Adiunctus comitatus angelorum,
Votis supplicibus precor Tonantem.
Te fusis precibus meam vicissim
Commendare D E O decet salutem.
Saluus perpetuò vale sodalis,
Lætus Nestoris exigas & annos.

A D M.



A D M. GEORGIVM
STENGLIVM AV-
GVSTANVM.

TV quoque sancta DEI callens oracula Stengli,
Sacrum Lyceum deseris?
Erudit Aonidum iuuenes vbi turba Dearum
Dulcissimis in artibus.
Nil quibus egregius tenet excellentius orbis,
Prius quibus nil ducitur.
Leta quibus cedit nummosi pompa triumphi,
Ipsique honores principum.
Has te frugiferis didicisse laboribus artes,
Hoc gratulamur carmine.
Et cupidis votis vero gemituque precamur,
Tibi fauentes candide.
Incolumi patriae subeas vt corpore tecta,
Vt sis salutis organum.
Dirigat & cunctos DEV S vt fæliciter aetlus,
Sedans furores horridos.
Te rogo Phœbea dum luce fruere Magister,
Sodalium viuas memor.
Quos tibi communis iunxerunt foedera mensæ
Firmissimis amoribus.
Suauiter æterni vale præco future parentis,
Vale sodalis optime.

ANNVS



ANNVS DISCESSVS.

HæC Cano CVM CLarVs peragrat soL terga
LeonIs.

M. Henricus Fabricius

Noribergensis.

E O B A N V S
H E S S V S.

M^{an}datum angelicis de te dedit ille ministris,
Vt sint custodes per loca cuncta tui.
Vt te sustollant manibus quocunq; feraris,
Ne summos lædas per salebroſa pedes.
Aſpida ſomniferam ſuper, & virtute Leonem
Præualida fultum, victor habebis iter.

A L I V D A D E O S
DEM

O non poſtremi dulces uos inter amicos,
Cum quibus hic iunctus fratriſ amore fui.
Quām mæſto tristes capio ſub corde dolores,
Quām querulas voces ore tremente ſono.
Dum procul ex iſtis abeunteſ ceditis oris,
Et patryj petitiſ dulcia rura ſoli.

B

Quis

Quis iam non tristes effundit voce querelas?

Dulcia quis læta gaudia mente capit?

Dulcibus & summis quando priuatur amicis?

Vnanimis vixit cum quibus ipse diu?

Ceu mihi vobiscum fuit assuetudinis usus,

Ornati varia cognitione viri.

O quoties hilares vna transegimus horas,

Inter nos gratum colloquiumq; fuit.

Quam vellem semper nos vna vivere posse,

Gratius accideret dulcius atq; nihil.

Hinc sed Leucoreæ vos cedere mænibus urbis,

Ad patrias sedes fata Deusq; vocant.

His parere mihi licet, & rogo pectore toto,

Vt vobis fidus sit comes ipse Deus.

Doctos vosq; vocent cum mollia fata Magistros,

Vt pia tradatis dogmata voce Dei.

Quæ bona quassatæ præstant solatia menti,

Et veræ monstrant dulce salutis iter.

Tu sed vt Italiæ subeas cum regna voceris

Laurenti, discas & pia iura fori.

Oro Deum vestros conatus atq; labores

Sic regat, vt crescat gloria vera Dei.

Vobis ex votis feliciter omnia cedant,

Vos Deus in studijs adiuuet atq; regat.

Nullius est etenim felix conatus, & vñquam

Vtilis, auxilium ni ferat ipse Deus.

Talibus

Talibus, ô tristes etiam vos obsecro Parcæ,
Ne citò tentetis rumpere fila viris.
Ingenuas etenim mentes coluère per artes,
Ocia nec studijs antetulere suis.
Dulcia diuini norunt mysteria verbi,
Et Dominum vera religione colunt.
Sunt quoq; præclaris virtutum dotibus aucti,
Nil quibus in vita pulchrius esse potest.
Talibus idcirco ducatis stamna longa,
Humano vt generi commoda magna ferant.
Si placet, est ingens vobisq; nocere voluptas,
Tollite quos frustrà terra benigna gerit.
Et modò sunt nati teneras consumere fruges,
Et quacunq; valent parte nocere nocent.
Deniq; vos veteres oro dulcesq; sodales,
Cum quibus usq; fuit viuere dulce mihi.
Vt sine fine mei memorem seruetis amorem,
Rursus ego vestris sic meminisse volo.
Spiritus hic potius tenues reddetur in auras,
Tradere quām Lethe nomina vestra queam.
Nunc precor incolumes patrias redeatis in oras
Viuite felices, vosq; valete diu.

M. Georgius Maior
Noribergensis.

O λόγε γνατε θεοῦ, splendens qui Patris imago,
Natus es è pura virgine purus homo.
Nec non ἡ νοστροῦ passus pro crimine mortem
In cruce soluisti debita νύτρα Patri.
Te laudo, summa f̄ḡ tibi fero pectore grates
Pro meritis, bonitas quæ tua summa dedit.
Quod viator cœli superas sublatus in arces,
Ad dextram Patris nunc tua regna tenes.
Voce ministerij sanctum tibi colligis agmen,
Quod tua perpetua nomina laude vehat.
Imples sinceris totum præconibus orbem,
Qui populo tradant dogmata vera tuo.
Ad quod præclarum munus nunc esse vocatos
Lætor, coniunxit quos mihi verus amor.
Est quorum spectata fides, pietasq; probata,
His qui Leucoridos clara Lycae regunt.
Gratulor & patriæ communi, & cætibus ipsis,
In quibus hi debent verba sonare Dei.
Ad quos incolumes tandem ut veniatis amici,
Numine propicio vos Deus ipse iuuet.
Atq; ibi commissum sacri moderamine flatus,
Quilibet officium subueniente gerat.

Euentumq;

Euentumq; Deo committat, & impiger instet,
Sic labor in Domino nullus inanis erit.
Et cum sint certo vobis data nomina fato,
Quæ vos officij commonuisse queunt :
Tu Victorini patriam quia pergis ad urbem,
Vt doceas Luci cum pietate fidem.
Arguit o fraudes Monachorum, ac impia regna
Pontificis, Magno cum Michaële duce.
Mæniaq; Augustæ repetis qui clara Georgi,
Fortia pro Christi virginine bella geras.
Atq; agnum veluti monstrans Baptista cruentum,
Ipse sua Domino voce parauit iter:
Iohannes doceas firmo sic peccatore Christum,
Quo cæso nobis redditæ vita fuit.
Sic sua cùm pastor purgabit ouilia Christus,
Pro vestra dabitur pulchra corona fide.

M. Iohannes Kauffmannus
Noribergensis.

B ij ELEGIA

MOHUS



ELEGIA
M. JOHANNIS BAPTISTÆ
LECHELII ONOLTZBACENSIS, IN DISCESSVM
Viri eruditione & pietate præstantis, D. Georgij Got-
ti Rheti, amici sui coniunctissimi.

TV quoq; Leucorea discedis ab Urbe Georgi?
Et tecum comites abstrahis inde tuos?
Dulcis amicorum numerus decrescere nobis
Qua ratione solet, crescit at ipse dolor.
Nam fortuna mihi vix vñquam fecit amicos,
Tali præstantes integritate viros.
Ex quibus ingenium, pietas, & nescia fraudis
Mens, non postremo te posuere loco.
Ergo tuæ cum iam sic consuetudinis usus
Desinat, an non & causa doloris adest?
Sed vocet à nobis cum te diuina voluntas,
Et moueat patriæ debita cura tuæ:
Perfice felices, Christo duce, perfice gressus,
Ut dilecta tibi Rheticarura petas.
Illic diuini sparges pia semina verbi,
Inq; Dei cœtu fidus arator eris.
Flaminis aura sacri tanta te fruge quotannis
Larga beet, quantam Rhetica messis habet.
Sic merces tua Christus erit, qui præmia vitæ
Æternæ, tali digna labore, dabit.

ELEGIA

ELEGIA VALEDICTIONIS
LOCO SCRIPTA

A

MICHAEL E LVCIO
Augustano.

ERGO ne discedens hanc cogor linquere sedem,
Copia nec posthac heu datur vlla scholæ?
Ex qua relligio, simul & reuerentia recti
Fluxit, & est verbi cura renata DEI.
Barbaries pulsa est: antiquus & artibus ipsis
Venit honos, nitido ceu noua stella polo.
Ach quanto toties tua vox audita lepore
Est mihi de rebus viue Philippe sacris.
O D E C V S, ô lapsi spes constantissima secli,
O vir fortuna fortior ipse tua.
Cui nego nostra parem, nec prisci temporis ætas
Vidit, nec similem sœcla futura ferent.
Magna tibi à nobis debetur gratia: nec nos
Immemores tanti muneris esse decet:
Cedite degeneres, ingrata mente Magistrum
Scindere, qui scelus id ducitis esse leue.
Sed tu Christe tuo verbo Musisq; dicatum,
Electumq; tibi C H R I S T E tuere locum.
Inter honorandos, multos fac viuere, patres,
Qui tua post illos dogmata vera sonent.

Sit pius

Sit p̄ius vt c̄etus tua qui pr̄æconia dicat,
Fiat & æternæ portio grata scholæ.
Me quia fata vocant, animum testantia vota
Hæc tibi, discedens, parua Sarepta fero.
Vos quoq; quos caros mihi vita domestica iunxit,
Et nobis versus scribere fecit amor,
Quos modo præsentes constanter amatis amicos,
Absentum memores non minus esse rogo.
Nunc Schola docta vale : Cariq; valete sodales:
Leucoris eximio digna fauore vale.

F I N I S.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-335543-p0019-1

DFG

W. H. G. M.

22027-64


M



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



IKA QVÆ
REVERENDIS
TE AC ERVDITIONE
Lucio, D. Georgio Sten-
anni Gotto Rheto, libera-
& D. Andreæ Lau-
ri, VViteberga
ris.

IV, 50.



ERGÆ
IOHANNES
O.
D. LXI.